



B



25

EXERCITATIO
M E D I C A
TRIGESIMA SEXTA.

*In a'mà Argentoratensium Aca-
demià proposita:*

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico:
& Reipubl. Physico constituto:

Respondente

GEORGIOFRIDERICO WIDMANNO,
Rotenburgensi Tuberano Franco.



ARGENTORATI,
Typis exscribebat Joannes Andrea.

Anno M. DC. XXV.



V I R I S

*AMPLISSIMIS, MULTIS PRU-
dentiæ nominibus eminentissimis, Authoritate
variarumq; rerum usu præstantissimis,*

DN. JOHANNI

Consuli inclytæ & imperialis Roten-
burgensium Tuberanorum Reipub:
dignissimo, meritissimo, Patri Patriæ
vigilantissimo:

BEZOL-
DIS

Fratribus
Germanis,

DN. BERNHARDO

eiusdem Reipub: AEdili primario
longè experientissimo, Senatori ibi-
dem gravissimo:

*Dnn. Patronis, Promotoribus, ac Fau-
toribus suis omni honoris modo
æternum prosequendis,*

*Διάσκεψιν hanc Medicam in debita
observantia significationem ul-
terioremq; sui commendationē*

D. D. D.

Respondens.



PROBLEMA I.



Ndc habeant testes, quòd & calidum, & validum, uno verbo, masculum reddant corpus? Aristoteles l. 5. gen. an. c. 7. putat, id testes habere non per se, sed per accidens, quatenus instar ponderũ spermatica vasa, & unà cum ijs venas atq; arterias, & consequenter etiam earum principium, Cor, deorsum trahunt, ne resolvatur ac laxetur. Cor autem veram causam caloris, roboris, & virilitatis esse. Costæus lib. 5. disquisit. physiolog. & Andr. Laurentius l. 7. anat. quæst. 1. putant, habere hoc testes, non tam à temperie nativâ, quàm influente seminis, quod precalidum & spirituosum. Fernelius l. 7. φυσιολ. c. 3. credit, testes hoc roboris & caloris ex se propriâq; facultate obtinere: hâsq; suas vires in omne corpus effundere: quemadmodum scimus, cerebrum nervis tum sentiendi, tum movendi vim: cor arterijs pulsandi facultatem impertire. Alj autumant, rei hujus causam esse, quòd testes in se illabentem ex universo corpore, tum calorem, tum spiritum, densâ compactâq; substantiâ, tanquam speculum radios, in universum corpus refundat. Recalescere ergò membra à testibus caloris quodam velut repercussu, arbitrantur. Aristotelis placitum confutavit Galenus l. 1. de sem. c. 15. ut probl. 1. Exerc. præced. monstravimus. Costæi & Laurentij opinio non videtur prorsus ἀλογον. Calidum quipp & spirituosum semen est in testibus contentum. Et experientia testatur, cum affluit & abundat, turgescens impetu ardorêq; corpus perturbare: excretum autem hoc placidum, lenè tranquillûmq; reddere. Sed veram & sufficientem causam minime ponit. Non enim semper semen in testibus continetur: neq;

A 2

omne

omne semen feruet. Ultima sententia videtur falsa. Concedimus quidem, sanguinem & spiritum, & consequenter etiam is inherens calorem, ad testes, tanquam ad officinam $\sigma\tau\epsilon\sigma\mu\alpha\lambda\omicron\tau\omicron\mu\epsilon\omicron\varsigma$, concurrere: sed quod inde reflexio fiat caloris, & quidem tanta, ut totum corpus incalescat, haud videtur vero simile. Valida enim reflexio ab ijs tantum corporibus fieri solet, quae solida sunt, dura atq; compacta. At testes corpora sunt rara, laxa, fungosa, & spongiosa: ita ut si maximè aliquam reflexionem, siue repercussionem, ab ijs fieri concedamus: eam tamen remissiorem leuioremq; ponere cogamur, quam ut tanti caloris & roboris author esse possit. Fernelij opinio desumpta videtur ex lib. 1. de sem. c. 16. Sic enim ibi Galenus. Demonstravimus prater testes etiam arterias & venas spermaticas semen efficere. sed vasa hac paucum multo temporis spatio: testes verò non solum multum & citò, sed exquisitè etiam confectum: quippe cum sincerissimam feminis habeant qualitatem, quam etiam in omnes animalis partes quàm citissimè diffundunt. Neq; id mirum esse debet. Valide namq; facultates universum corpus simili sibi qualitate immutant. Patet hoc primùm ex succo medico, cyrenaico, ruta, alij & quorundam aliorum simplicium: cuius si quis paucillum solum assumpserit, ejus qualitatem & in urinam, & alijs humoribus deprehendet. Deinde idem etiam ex deleterijs simplicibus liquet. Nam si etiam minima humoris illorum particula in animalis corpus fuerit ingressa, totum sanè momento temporis immutare, sibiq; simili affectione alterare observatur. Tum ex curatione, quae per antidota & alexipharmaca instituitur, constat. Haec enim alteratione lethalibus venenis contrarià totum corpus immutant: non quòd substantia ipsorum per totum corpus penetret (non enim potest paucillum succi tam brevi temporis intervallo maximam corporis molem replere) sed qualitatis diffusionem: qualis & extra nos à solis splendore in ambientem aërem, & in nobis tum à corde in arterias: tum à cerebro in nervos fieri conspicitur. Quid igitur mirandum, si, quemadmodum sentiendi ac movendi facultas à cerebro in nervos: pulsandi à corde in arterias diffunditur: ita.

ita quoq. à testibus in totum corpus vim quandum dispergi aße-
veremus? quæ quidem in maribus robusti ac masculi habitus: in
fæminis fæminea naturæ causa sit: ac propterea efficiatur, ut fæ-
mina excisis testibus mari castrato similis evadat. Alia enim
partes omnes eandem in utroq. vim habent: hac verò, quæ exi-
mia in utroq. erat, quâ scil. & hic mas, & illa fæmina efficieba-
tur, ablata, reliquum in utrisq. idem remansit, perinde, ac si à
principio neq. mas, neq. fæmina uterq. eorum extitisset: sed ter-
tium quoddam, quod ab utrisq. quidem differret: neutrû tamen
illorum esset. Hætenus Galenus. Cujus sententia omnium vi-
detur probabilissima.

I I.

Cur qui semen generant, hircum oleant: qui ἀγρον
non item? Experientia docet, & Aristoteles sect. 4. probl.
13. tradit, corpora post pubertatem, cum prolificum semen gignunt,
hircum sub alis olere: ante pubertatis verò annos nequaquam.
Quæritur ergò quæ hircini istius putoris sit causa? Aristoteles
lo. ocitato & Ioann. Langius l. 2. epistol 6. causam esse di-
cunt cruditatem humorum in venis delitescantium. Nam quæ
cruda sunt & incocta, deteriores habere scribit, tum sapes, tum
odores. Sapes v. g. acidos, salso, aut amaro: odores verò fæti-
dos. Contrà, quæ concocta maturaq. sunt, sapes aut dulces, aut
minus amaro, & odores suaviores, aut certe minus insuaves præ-
stare aserit: idq. probat exemplo stirpium, animalium, cineris atq.
sudoris Hujus verò cruditatis post pubertatis annos causam ait esse
caloris diminutionem. Etenim calor, inquit, naturalis semen geni-
tale concoquit: quod quanquam exiguum est. vim tamen obtinet
maximam: quippe quod ex multo admodum tam exiguum consti-
tutum sit. Quamobrè ubi id secessit, resolvimur magnâ ex parte
vehementius, atq. refrigeramur. Humores ergò crudiores red-
duntur: patefactis meatibus, propter seminis excursus: quo fit,
ut sudor, ob cruditatem, & salsior, & fætidior tunc sit, quàm in
puerili atate. Sensus erit planior, si syllogisticè proponatur.

A 3

Itaq.

Itaq; hunc in modũ ratiocinamur. Quã etate humores, & præcipue sudores, sunt crudiores, eã magis sunt olidi. Cruda enim omnia malè sapiunt, & olent. At etate, qua semen gignitur, humores sunt crudiores. Ergo eã quoq; magis sunt olidi. Minor probatur. Quã etate calor natiuus magis dissipatur, eã humores sunt crudiores: quia calor concoctionis est causa. At eã etate, quã semen gignitur, & genitum emittitur, calor natiuus magis dissipatur: quia semen ratione materia sanguineum est & spirituosum, in quã substantiã potissimũ calor inheret. Ergo eã etate, quã semen gignitur, humores sunt crudiores. Si quæras, quibus potissimũ in locis hircinus ille fœtor percipiatur? Respondemus sub alis, circa genitalia, in perineo, & fissurã natiuum. Ratio est: quoniam loca hæc humida sunt, & ferè semper tecta, nec, ut alia, ventilantur. Montaltus l. 1. de hom. sano c. 2. præter caloris diminutionem aliam quoq; huius fœtoris causam ponit: nimirũ vim & qualitatem seminalem, toti corpori à testibus impertitam, quæ virosa. Ait enim vim seminis generatricem, quæ ante seminis productionem veluti sopita erat, tempore quo semen generatur, quasi vivificari, atq; ita excitari, ut non solum testes munus suum obeant: verũ etiam qualitatem suam seminalem & virosam, realẽ quidem: at spiritalem, instar solis lumen diffudentis, toti corpori communicent. Quod placitum ex Galeno hausisse videtur. Sic enim is l. 1. de sem. c. 15. Totum corpus à testib. alteratur. Nam non solum suavior est castratarũ victimarum caro: integrarum autem insuavior: sed etiam qualitas ipsa carniũ simile quid testium qualitati præ se fert Basũ, grave, & ut ita dicam, Bepuãdes, virosam, similitudine ad odore usq; porrectã. Hanc autem seminalem qualitatem eodem libro c. 16. dicit testes quã citissimè diffundere in omnes animalis partes: idq; exemplo succi Medici, cyrenaci, ally & ruta, nec nõ venenorum, & alexipharmacorum planum facit. Nam & horũ qualitas in totum corpus, brevi temporis intervallo, penetrat, idq; alterat atq; immutat: quemadmodum supra quoq; ostendimus.

Cur

I I I.

Cur sacrâ in scripturâ filij dicantur prodire ex femore? Genesios cap. 46. v. 26. dicitur, animas quæ ingressæ sunt cum Iacobo in Aegyptum, & egressæ de femore ejus, absq; uxoribus filiorum, fuisse 66. Et in principio Exodi habetur, animas eorû, qui exgressi sunt de femore Iacobi, fuisse 70. Deniq; Numer. c. 5. v. 21. & 22. legitur, præceptum fuisse Sacerdoti, ut adulteræ hæc præcipue annunciaret: det te DOMINVS in maledictione, exemplumq; cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrẽ tuum, & utero tumescente putrescat femur. Itaq; non immeritò quaritur, an phrasis hæc, prodire ex femore, causam naturalẽ habeat, & physicè defendi possit, necne? Respondet Vallesius in sacrâ Philosophiâ c. 13. ajendo: idq; demonstrare conatur ex vasis seminalibus: quæ tamen minùs anatomicè describit. Quare nos locum istum aliter interpretamur. Reperimus quidem in versione latinâ vocabulũ femoris. Sed D. Lutherus utitur in Genesi voce lumborum, der Lenden: in Numer. autem coxarum, der Hüfften. Est autem femur, ^{μῦσος}, & ^{ἡ μῦσος} græcè, omniũ humani corporis osium longissimũ & maximũ, figuram habens rotundã & rectam: quanquã non exquisitè: dictum à ferendo, quoniam eo potissimũ animal sustinetur: nostratibus das obere dicke Bein/oder der obere dicke Schenckel. Lumbi pars sunt posterior imi ventris, quinq; vertebra circumscripta: quarum summa contigua est imæ thoracis: imæ verò summa ossis sacri cohaeret. Vocaturq; pars hæc διάζωμα, cinctũ: græcè ἴσα. Coxa, sive coxendix significationẽ habet duplicem: unã generalẽ, quãdo pro toto eo osse, ^{αὐτὸν ὀστέον} ab Oribasio, ab alijs pelvis appellato, accipitur: quòd in eo, velut in pelvi, intestinum ileũ & rectum, nec non vesica & uterus contineantur. Alterum propriam & specialẽ, cum tantũ pro parte istius ossis sumitur. Etenim unicũ quidem videtur utrinq; ossi sacro commissũ: in junioribus verò triplici lineã distinctum cernitur: proptereaq; tres ejus partes ab Anatomicis statuuntur. Prima omnium est latissima & superior,

perior, qua cum osse sacro conjungitur: os λαγύων, id est, ilium nuncupata. Secunda os pubis & pectinis, ὀστέον ἡβης: quod cum altero sui generis per συγχρόνωςισιν valide connectitur: Germani vocant die Schloß. Tertia ισχίον, os coxendicis, aliàs pyxis, idq; ob profundam cavitatem, græcè κοτύλην, dictam, que oblongum & rotundum femoris caput excipit. His sic expositis, dispiciendum, an filij physicè ex femore, lumbis & coxendicibus parentum prodire dici queant? Ad quam questionem antequam respondeamus, prius phrasin, quâ aliquid ex aliquo esse, vel fieri statuitur, perpendemus. Est enim ambigua. Eam autem Aristoteles lib. I. de gener. an. c. 18. & lib. 8. Metaphys. c. 24. explicat, pluresq; illius modos proponit. I. enim aliquid ex aliquo esse dicitur, tanquam ex materia; sive illa prima sit, quam Aristoteles ὑλην κατὰ τὸ πρῶτον γένος in Metaphys. appellat: sive ultima & propinqua: quam idem ὑλην κατὰ τὸ ὑστατον εἶδος nominat. Sic statua est ex ære: lectus ex ligno: olla ex argillâ. II. tanquam ex efficiente. Sic maledicta, ut Epicharmus agebat, sunt ex calumnijs: pugna ex maledictis: quia calumnie sunt cause moventes & excitantes maledicta: qua postmodum pugnam movent. Ita omnia dicuntur esse à Deo, tanquam principiorum omnium; & homo ex parentibus, III. tanquam ex fine. Sic mercatura est ex intentione divitiarum: temperantia ex sanitate: quia illa exercetur propter divitias: huic propter sanitatem opera datur. IV. tanquam ex termino à quo per successionem. Sic ex nocte est dies: ex puero senex: ex vere æstas: ex æstate autumnus: ex serenitate tempestas &c. V. tanquam ex contrario: sive ex termino à quo per transmutationem naturalē. Sic ex frigido est calidum: ex humido siccum: ex duro molle. VI. tanquam ex partibus. Sic corpus naturale est ex materia & forma: domus ex fundamento, parietibus, tecto & conclavibus: & in genere quodlibet totum ex suis partibus, sive essentialibus, sive integrantibus. VII. tanquam partes ex toto. Sic lapides sunt ex domo diruta: radix, truncus & rami ex casa arbore. Primus modus proprius est, quo materiatur ex materia esse statuitur. In secundo preposi-
tio

tio Ex sumitur pro A vel AB. Proprie enim effectus non Ex, sed AB efficiente causa fit. In tertio proprie finitum non est Ex, sed PROPTER finem. In quarto & quinto prepositio Ex idem sonat quod POST. Hisce enim modis alia dicuntur ex aliquo fieri, quoniam mutuan habent naturalem transmutationem. Alia vero, quoniam tantum ratione temporis se consequuntur: licet natura in sese non transmutentur. In sexto totum perhibetur ex partibus, fieri per compositionem. In septimo partes dicuntur esse ex toto, per resolutionem. Sunt ne ergo liberi ex femore, lumbis, aut coxendice parentum, tanquam ex materia, efficiente, fine, termino a quo per successionem, transmutationemve, partibus, aut toto? Nullo horum modorum proprie. Si tamen aliquo, primo certe: scilicet: ratione materiae. Sunt ex lumbis: quia ex semine: cuius materia adfertur a 4. vasis spermaticis, qua lumbis incumbunt. Unde lumbaria ab Avicenna dicuntur. Sunt ex femore: itidem ratione materiae. Nam vasa spermatica, seminis materia advehentia, musculis duobus lumbalibus, quos Iovas nominant, imposita sunt. At musculi isti ad femora spectant: dexter ad dextrum: sinister ad sinistru. Intus enim in cavitate abdominis siti sunt, oriunturq; ab inferioribus thoracis vertebrae, & lumborum superioribus, supraq; pubis ossa feruntur, & tendine valido ac tereti in processum femoris internu, Trochantera, sive Rotatore minorem dictum, inseruntur, ut femora introrsum agendo flectant. Sunt denique ex coxendice, generaliter voce hac, uti supra expositum, accepta: quia & uterus in sexu muliebri: & vesica, ad cuius cervicem in corpore virili prostata glandulosa, seminis absoluti promptuaria, locati sunt, in pelvi illa, quam coxa formant, continentur. Ager autem generationis humanae uterus est: materia vero semen. Quapropter & ratione materiae in qua, & ratione materiae ex qua liberi ex coxis parentum egredi recte dicuntur.

IV.

Cur aegri, senes, pueri, & qui sunt pingui obesoque
B admo-

admodum corpore praediti, semine destituantur? Ad hoc
problema Aristoteles l. 1. gen. an. c. 18. laconicè respondet. Se-
mine, inquit, carent acri propter imbecillitatem. Senes, quia
eorum natura satis concoquere nequit. Pueri propter incremen-
tum. Absumitur enim totum alimentum in corporis desiderium,
priusquam aliquid excrementi remaneat. Nam quinquennio
ferè corpus in homine quidem dimidium capere videtur omnis
magnitudinis, quae toto reliquo tempore comparatur. Pingues &
obesi, quia seminis materia in pinguedinè abit. In carnosis au-
tem, quos *εὐαίρητος* & quadratos appellant, in carnes convertitur.
Hanc eandè causam idem Aristoteles l. 2. part. anim. c. 5. pro-
fert. Omnia, inquit, obesa steriliora sunt. Nam quantum ex san-
guine proficisci ad semen genitale deberet, hoc in adipè, aut serum
sumtitatur. Sanguis enim cum concoquitur, ad hæc transit. Qua-
re aut nullum excrementum sanguinis, aut parum sanè colligunt.
Nobis impræsentiarum Aristotelica hæc explanare libet. In
acri utiq; imbecillitatè agnoscimus: at non solam. Duo enim ad
seminis generationè requiruntur: materia & efficiens. Materia
sanguis est & spiritus. At sanguis in acri vel paucus est: vel
vitiosus. Semen autem ex redundantia nascitur. Est enim san-
guinis quaedam superfluitas. Nascitur quoq; ex sanguine puro &
sincero, si facundum esse debet. Spiritus tum per acutos, tum per
chronicos morbos dissipantur. In illis propter vehementiam &
calorem. Sunt enim pleriq; acuti calidi: quia cum febre conjun-
cti: teste Galeno l. 3. de Respir. c. 9. comm. 1. aphor. 7. l. 3.
de dieb. decret. c. 13. l. 3. de cris. c. 4. comm. 1. in l. de vict.
acut. t. 18. comm. 2. aphor. 19. comm. 1. in prognost. t. 25.
comm. 3. in l. 1. Epid. t. 3. & l. 2. decretor. c. 12. In his pro-
pter diurnitatè durationis, & paucitatem boni sanguinis, qui
spirituum est materia. Efficiens remota est cordis robur: propin-
qua organorum spermaticorū bona temperies, & consequenter ca-
lor vegetus. Sed temperies per morbos vitatur: calor minuitur:
cordis robur exolvitur. Pueri, quia non modo aluntur: sed etiam
in omnem dimensionè augentur: habentq; calorem uberrimum, qui
potenter

potenter succos per raram, laxam, patentemq; cutem discutit: superfluum sanguinē non generant: & consecuti vè neq; semen: qui superflui sanguinis est progenies. Corpulenti aut pingues sunt: aut carnosī. Vtriq; vel naturā: vel diatā tales. Et tales aut in excessu majori, aut remissiori. Immodicē & naturā pingues ἀνοοί sunt, seminisq; expertes, quia, ut Galenus comm. 2. aphor. 44. docet, paucum sanguinem & spiritum habent. Destituuntur ergo seminis materiā. Sed & propter defectum efficientis sunt tales: quia frigidi: teste eodem l. 2. de temperam. c. 4. & comm. 2. aphor. 44. Hippocrates multis in locis pingues & obesas mulieres steriles pronunciat: nimirum lib. de sterilib. l. de nat. muliebr. de superfoetat. & aphor. 46. s. 5. Inculsat autem non tam penuriam materiae & efficientis, quam crassitiē & pinguedinem nimiam omenti, quod dicit deprimere uterum, & comprimere ejusdem orificium, ut genitura suscipere nequeat. Libro verò de aër. aq. & loc. mulieres Scythiam inhabitantes infæcundas scribit 4. de causis I. propter pinguedinē carnis: qua procul dubio materiā seminis aufert. II. propter nimiam corporis humiditatē: cujus ratione uteri earum semen genitale minime arripiunt: fortassis etiam, (addimus nos) propter lubricitatē illud non retinent. Aphorismo 62. sect. 5. inquit Hippocr. in humido utero geniturā extinguī, sicut cerealia semina, subdit Galenus in commento, in terrā palustri. III. propter raritatē & paucitatem menstruorū. IV. propter pinguedinem, qua os uteri claudit, ut semen admittere non possit. Esse enim Scythiae fæminas otiosas, frigidas, molles atq; obesas. Mediocriter carnosī, qui dicuntur εὐταχροί, fæcundi sunt: quoniam & sanguine, & spiritu, & calore abundant. Steriles contrā, qui modum in carnositate excedunt: idq; propter defectum materiae spermatica.

V.

Sitné aliquod discrimen inter Genituram & Semen?
Genitura Gracis γενὴ καὶ γένεσις: semen verò σπέρμα nominatur.
Vtraq; vox idem sonat apud neotericos. Reperimus tamen Geni-
tura

tura significationes 6. Prima extat apud Plinium l. 18. c. 24.
& l. 9. c. 35. accipiturq; pro γενεα, generatione. Sic enim ille.
Inter diligentissimos convenit, in alitum quadrupedumq; genitu-
ra esse quosdam ad conceptum impetus terra. Item origo atq; ge-
nitura concha est, haud multum ostrearum conchis differens. Se-
cunda habetur apud eundem multis in locis: v. g. l. 20. c. 8. 18.
& 23. l. 21. c. 20. & l. 22. c. 23, ubi pro spermate humano usurpatur.
Mentionem enim inter alia facit medicamentorum, quae genituram,
hoc est, semen augent, hebetant, extinguunt, consumunt, ejusq;
profluvia sistunt. Tertia legitur apud Suetonium in Augusto,
& pro Horoscopo sumitur, hoc est, caeli constitutione, qua quis na-
tus est: unde de felicitate ejus, qui natus est, Genethliaci prae-
dicunt. Quarta apud Galenum l. de dissect. Vulv. c. 1. quae ta-
men Hippocratis est: ut patet ex comm. 3. in libr. de artic. t.
41. Γενεα enim Hippocrati sunt partes, quae generationi accom-
modantur: uterus in foeminis: & quae semini aptantur in mari-
bus, γεννητριά, genitalia, alias nuncupata. Quinta apud Authorem
definitionum medicinal. reperitur: & pro semine nondum
concocto accipitur. Semen namq; dicit esse illud, quod in vasis est
seminarijs, aut quod jam est excretum, adeoq; absolutum atq; per-
fectum. Aristoteles l. 1. de gener. anim. c. 18. inter Genituram
& Semen distinguit subtilius. Genitura, ait, id vocatur, quod à
generante proveniens causa est, quae prima obtineat principium
generationis, videlicet in ijs, quae coire natura voluit. Semen au-
tem est, quod ex ambobus coeuntibus illis originem trahit: quale
semen omnium est plantarum, & nonnullorum animalium, in
quibus sexus non est distinctus: velut id, quod ex mare ac foemi-
na primum miscetur; quasi quidam conceptus promiscuus. Diffe-
runt ergo primum ratione subjecti. Nam genitura est in ani-
malibus perfectis, quae naturam coeunt, & in quibus sexus est di-
cretus. Semen v. in animalibus imperfectis & plantis. Deinde
ratione formae & effectus. Etenim genitura ens est imperfectum:
quia alterum tantum generationis principium obtinet, activum
scil. sive agens: quale ex sententia Aristotelis est semen Viri.

Hæc

Hoc siquidem & forma, & agenti, & fabro, & figulo, & coagulo
 l. 1. de gen. an. c. 20. 21. & 22. confert. Semen autem ens est
 perfectum: quippe ex duob. principijs, agente & patiente, conflatum.
 Hinc sequitur, plantas & imperfecta animalia, secundum
 Aristotelis mentem, ex semine, non ex genitura provenire. Per-
 fecta autem animalia ex genitura: non ex semine. Communi-
 ter ergo apud Authores Genitura & Semen non differunt: sed
 pro vocibus equipollentibus habentur. Aliquando tamen dif-
 ferre dicuntur: & Genitura latius patere, quam semen: quonia
 plures res denotat, ut ostensum. Coronidis loeo hoc ex comm.
 1. Gal. in Hipp. progn. t. ult. addimus, in semine esse duo: δὴνα-
 μιν, vim, sive facultatem, & τὸ σωματώδες, substantiam corpulentam.
 Illam veteres proprie appellabant σπέρμα. Semen vero ipsum θασπν,
 ἢ θασπν in mascul. nuncupabant: forte, credimus nos, ἀπὸ τῆς θασπν, ἢ
 θασπν, à saliendo, quia semen cum saltu exit.

V I.

An semen naturæ sit igneæ? an aëreæ? an aqueæ? an
 terreæ? Semen ex quatuor conflatum esse elementis, à priori &
 posteriori probari potest. A priori: quonia corpus mixtum est. At
 quod tale, in misturâ suâ omnia continet elementa: quia hæc re-
 rum mistarum sunt principia. A posteriori: quoniam omnis gene-
 ris particulas, frigidas, calidas, humidas & siccas: itémq. molles
 & duras: densas & raras: læves & asperas &c. producit. Hanc
 illius compositionem etiã Galenus l. 2. de san. tuend. c. 2. suo
 calculo confirmat. Verum hic queritur, quale sit à prædominio?
 Aristoteles l. 4. de gen. an. c. mihi 4. respondet, esse calidum &
 humidum. Quod ipsum etiã scribit l. 2. de gen. an. c. 2, idq. ex
 eo probat, quonia spirituosum & aqueum. Aristoteli suffragatur
 Galenus l. 2. de temperam. c. 2. Duo siquidẽ in eo conti-
 nentur, teste eodem l. 14. us. part. c. 3. spiritus & humor: ille ut
 motus principium: hic ut materia ad generationem fætûs accom-
 modata. At ille calidus est: quia secundum Galenum l. 3. nat.
 fac. c. 14, levissimum tenuissimúmq. est omniũ, quæ sunt in cor-

pore: & secundum Aristotelem l. 2. gen. an. c. 2. aër quidam
calidus. Idem Galenus l. 2. de temperam. c. 2. duo constitutio-
nis nostrae principia ponit, semen & sanguinem: eaq; calida & hu-
mida quidem constituit: sed l. 1. de tuend. san. c. 2. ratione tem-
peramenti illa inter se confert: & in semine, quod sanguinis re-
spectu opificis rationem in formatione nostrâ habere dicit, plus
igneae & aëreae substantiae esse scribit: in sanguine autem, quem
velut aptâ quandam materiem, concinnamq; & opifici ad quid-
vis sequacem esse docet, plus aqueae atq; terreae: quanquam sub-
jungat, in eo quoq; præpollere calidum frigidum, & humidum sicco:
ita ut propter istum exuperantiâ non siccus sit, sicut ossa, unguis,
aut pilus: sed humidus: & humidior quidem semine. Hoc enim
sanguine siccus ibidem credit: quamvis & ipsum humidum flu-
xileq; corpus statuatur. Eandem doctrinâ de temperamento seminis
Galenus comment. 1. aphor. 14. repetit: inquiens, semen pau-
câ omninò terrenam substantiam participare: plurimû autem aëris
calidi humidig; in se ipso continere. Caterum quod semen calidû
revera sit, multa sunt, quae fidem faciunt: Primùm materia, ex
quâ generatur. Nam cuius materia calida est, id ipsum quoq; ca-
lidû sit, necesse est: juxta tritum Canonem: qualis materia, tale
quoq; materiatur. At seminis materia calida est, nimirum sanguis:
teste Aristotele l. 1. gener. an. c. 18. & 19. & l. 4. gen. an. c. 1.
Sanguine quippe nutrimur: Arist. ibid. & alibi sapius. At qui-
bus nutrimur, ex ijs quoq; constamus: Galen. l. 1. de sem. c. 16.
& Aristot. l. 4. gen. an. c. mihi 8. Videmus etiâ, per venerem
immodicè exercitatâ sanguinem excerni: Aristot. l. 1. gen. an.
c. 19. Ergò ipsum quoq; semen calidum est. Sanguis verò, qui
seminis materia dicitur, non quicûmq; & qualiscûmq; est: sed ex-
quisite atq; exactè coctus: sic docente Galeno l. 2. de sem. c. 2. &
l. 16. us. part. c. 10. Deinde forma. Quicquid enim spumo-
sum & spirituosum est, id calidum existit: quoniam, ut antè ex
Aristotele & Galeno ostensum, spiritus naturâ suâ talis. At se-
men spumosum est, velut sensib. patet, & Aristoteles l. 2. gen.
an. c. 2. Hippocrates l. πρὸ γυνῆς in principio: & Galenus l. 14.
us. part.

us. part. c. 9. & l. 1. de sem. c. 5. asserunt. Est quoque spirituosum, & quidem plenum spiritu vitali, qui calidissimus: ut idem Galenus l. 1. de sem. c. 5. docet, quam ob causam etiam cum saltu egreditur. Ergo. Tertio passio: quia variam & multiplicem coctionem in vasis spermaticis, corporibus varicosis, testibus, vasis ejaculatorijs, vesiculis seminarijs, & prostaticis glandulosis perpassum: velut Galenus l. 1. de sem. c. 6. posterioribus monstrat. Quarto effectus: quoniam animal producit, cujus vita in calore consistit. Est namque calor organum animae operibus peragendis ὑπερβόταλον, maxime serviens atque accommodatum: ita loquente Aristotele l. 2. de part. anim. c. 7. Quod autem semen humidum sit, primum tactus monstrat. Deinde materia ejus ostendit, quae, uti dictum, humida. Tertio usus & finis probat. Neque enim si siccum & durum esset, membra corporis ex eo generari formarique possent. Notandum autem, masculine semen calidius & siccius esse faemineo: teste Hippocrate. lib. 1. de diet. Robustior enim mas est faemina; ideoque ex fortiori validiorque genitura, qualis calida & sicca est, generatur. Nam faemina Aristoteli est ἄρρεν πεπερωμένον, mas mutilus: l. 2. de gen. animal. c. 3. ὡς περ ἀναπηγία φυσικὴ, quasi lesio naturalis: l. 4. gener. an. c. 6. ὡς περ παρέκβασις, quasi de generatio: l. eodem c. 3. ἀδυναμία τις, impotentia quadam: l. 1. de gener. an. c. 20. ἀνευροτέρεν καὶ ἀναρροτέρεν, innervior (vox est interpretis Gaza) & infirmior mas: 4. histor. an. c. ult. Hinc in pedestribus sanguineis animalibus, quae ζωλόκια, maximam ex parte mares sunt & μείζονες & μακροβιώτεροι, majores & vivaciores faeminis. Hinc faeminae sunt λεπλοειχῶτεροι, pili tenuioris: ὑγροσαρκότεροι, humidioris carnis: λεπλοτέραι τὰς κνήμας, crurum tenuiorum: λεπλοφωνότεροι καὶ ἰξυφωνότεροι, vocis exilioris & acutioris, quam mares. Partes autem, quas velut arma Natura animalibus dedit, ut dentes, cornua, calcaria, & his similia alia, vel planè non habent: (cervae enim carnibus carent: gallinae calcaribus destituuntur. & suae faeminae dentibus vacant exertis:) vel habent quidem: sed non ita validas & robustas, ut mares. Cornua enim vaccarum longè minora debilioraque sunt cornibus taurorum. Aristot. l. 4. hist. an. c. ultimo.

Vtrum

V I I.

Vtrum semen verè & realiter : an apparenter tantùm spumosum sit? Aristoteles l. 2. de gen. animal. c. 2. Herodoti sententiam refutans, qui, ut etiam l. 3. hist. an. c. ultimo habetur, Aethiopum semen nigrum esse dicebat, duobus utitur argumentis: I. quia necesse non est, omnia nigra esse eorum, quibus cutis nigra est. Patet hoc ex dentibus, qui etiam Aethiopicis albi. II. quia semen spuma est. Spuma autè alba est: & illa maximè, quæ ex paucissimis constat partibus: iisq; adeò paruis, ut ampullæ cerni nequeant. Esse autem seminis naturam spumosam, ne veteribus quidem in cognitum fuisse scribit. Deam siquidem, quæ rei Venerea præest, à spumosa seminis naturâ Ἀφροδίτην denominârunt. Ἀφρός enim spumã Græcis significat. Cujus dicti Galenus l. 1. de sem. c. 5. mentionem facit. Author libelli περὶ γυναικῶν, qui inter Hippocratis opera recensetur: à Galeno verò Polybi esse perhibetur, itidem semen spumosum pronunciat: simulq; rationè hujus spumositatis reddit, eamq; in motum tum pudendi, tum totius corporis refert. Per motum enim & agitationem humores corporis calefcere, atq; diffundi: conquisatôsq; spumescere: sicut & alij liquores agitati spumescere solent: scilicet quibus spirituosa substantia est permista. Vtramq; enim & aqueam, & spirituosam, sive flatulentã, ad spumæ generationem Aristoteles l. 2. gen. anim. c. 2. requirit. Hinc aqua cum oleo permista spumescit, si concutiatur. Continet enim oleum multum spiritum, sive aeris: idq; propterea, quia pingue. Hoc enim neq; aqueum est, neq; terreum: sed æreum. Esse autem tale, duo sunt, quæ probant. I. quia aqua innatat. Aer enim, inquit Philosophus, in eo, velut in vase contentus, effert, perq; summa sustinet, & causam levitatis præbet. II. quia frigore crassescit quidem: at nunquam congelascit. Crassescit, quoniam à frigore densatur. Non verò congelascit, quia spiritum, sive aerem calidum in se continet, qui est incongelabilis. Huic eidem sententia etiam additi fuere Pythagoras, Diogenes & Alexander. Sen enim optimi & laudatissimi sanguinis spumam esse dicebant. Sed dispiciamus

ciamus nos, an semen verè ac realiter spuma genus sit: an tantum tale appareat intuentibus? Salvo rectius sentientium iudicio, arbitramur, spuma quidem quadantenus esse simile: at veram spumam non esse. Rationes, quae nos movent, sunt duae: I. quia spuma levissima est, adeo ut etiam bulla illius aliquandiu in aere volent per calamus efflata: bullas quoque, habet, haec plures, illa pauciores: haec majores, illa minores. Nil enim aliud spuma videtur esse, quam multa bulla simul aggregata, & in parvas particulas divisa. At semen neque, ut spuma, leve est: (delabitur enim, inquit Arist. I. hist. an. c. 22. in aqua, atque subsidet, si sit fecundum) neque, ut illa, ampullas habet. Non ergo spuma est vera. II. quia spuma excutitur ex materia humidâ, cui spirituosa, sive flatulenta permista: idque à calore, vel motu. Ab hisce enim causis, inquit Galenus comm. 2. aphor. 43. & aphor. 30. nec non comm. in 1. prorhet. t. 21. utraque substantia in multas particulas confringitur: & spuma efficitur. Requiritur autem, ut idem comm. 2. aph. 43. monet, motus violentus, aut calor fortis. Has enim causas spumam excitare, declarat exemplo maris impetuosis agitati ventis, quod spumescit, ob impulsionis vehementiam. Exemplo irâ percitorum aprorum: qui spumam efflant, ob caloris feruorem. Exemplo liquorum in lebetes, igni admoto, contentorum: qui & ipsi ob effervescentiam spumam concipiunt. Exemplo epilepticorum, quorum os spumat, ob vehementiam motuum convulsivorum. Denique exemplo equorum velociter currentium, qui spumam reddunt, propter motus & caloris violentiam. At licet humidam spirituosamque substantiam in semine libenter agnoscamus: non agnoscimus tamen tantam caloris & motus vehementiam, quae utramque substantiam confringere, & in minutissimas dividere particulas queat. Non enim igneus calor est, qui semen gignit. Tantum namque abest, ut is semen generet, ut id maxime consumat. Adde, quod talis in organis genitalibus, melancholicorum praesertim, & phlegmaticorum virorum, senum ite ac mulierum, minime deprehendatur. Licet autem in congressu Venereo agitatio corporis fiat: semen tamen ante istam agitationem jam erat generatum, in
C vasis

vasis suis collectū. Neq; quicquam valet argumētū ab albedi-
ne seminis petendum. Si enim ejus causā spumosum esset, utiq; &
lac, & chylus, & mucus cerebri atq; articularū, & pus, & uri-
nae sedimentum spuma genus existeret. Non albicat semen, quia
spuma: sed quia genitum in vasis genitalibus, & cum primis in
testiculis, quorum substantia alba est. At agens & alterans omne
patiens sibi simile reddere studet, inquit Galenus tūm alibi
sepius, tūm l. 4. de us. part. c. 12. l. 1. de sem. c. 14. & 16. & l.
1. de nat. fac. c. 6. nec. non l. 3. nat. fac. c. 7. & comm. 1. in
prognost. Hipp. t. ultimo. Hinc rubet sanguis, quia à rubi-
cundo hepatis parenchymate factus: candidum est lac, quoniam
à glandulosis mammarum corporibus, quae albißima, genitum.

VIII.

Cur semen in conceptaculis propriis crassum sit &
album: egressum autem tenue reddatur & quodammodo
nigrum? Tò ὅτι tradit Aristoteles l. 3. hist. an. c. ult. Tò δὲ
διότι l. 2. gener. an. c. 2. Posset videri, semen extra sua conce-
ptacula propterea ad aquae speciem humidum fieri, & aquae colo-
rē accipere, quia aquae natura. Emissum ergo redire ad naturā
pristinam. Sed Philosophus hanc rationem prorsus rejicit.
Non enim aqueum est semen: neq; partim aqueum, partim ter-
renum. Non aqueū, duabus de causis. I. quia aqua non crassescit
à calore. At semen à calore crassescit. In loco siquidem proprio,
qui calidus, crassum est: foris refrigeratum humescit. II. quia
omnia aquosa frigore concrescunt. Semen nequaquam. Positū
enim sub dio gelu non concrescit: sed humescit potius: quasi à
causā contrariā, ipso scilicet calore crassum factum. Non partim
aqueum, partim terrenum. Tale enim si esset, utiq; non totum in
humorē & aquam resolveretur. At sic resolvitur. Alia ergo
hujus effectūs causa est. Quenam illa? Crassum, inquit Philo-
sophus, & album semen est, quia aqueū & spirituosum. Nam quod
non solum illa, quae ex aqua & terrā constant, per coctionē cras-
sa fiunt: verum etiā quae ex aqua & aëre, sive spiritu composi-
ta sunt,

ta sunt, rerum externarum exempla satis superq; demonstrant. Spuma namq; crassa est & alba: sed aquosa & spiritiosa. Oleum crassescit: quia spiritum & aëre commixtum habet. Crassius ergo redditur, cum albescit: quia humor in eo contentus discernitur à calore, efficiturq; spiritus. Galena, quæ πορὶσθαινα, hoc est, plum- bago, si aqua, aut oleo permisceatur, & agitetur, ex paruo magnū facit tumorem: ex liquido spissum: ex nigro album. Spiritus enim & aër immiscetur: qui tumorem efficit, (Aristoteles ὄρνιθον dicit: Gaza fastum vertit) & albedinem excitat: sicut in spuma & nive. Nix alba est: quoniam spuma. Multum siquidem aëris & aqua in se continet. Aqua cum oleo mixta crassa & alba redditur. Per concussum enim attritūmq; spiritus includitur: & ipsum etiā oleum multum spiritūs continet: quia pingue: quod aëreum & spirituosum esse præcedenti problem. probatum: tum quia aqua innatat: tum quia frigore non congelatur. Vera igitur causa secundum Aristotelem, cur semen crassum albumq; sit in conceptaculis suis, est, quia calidum & spirituosum. Emisum autē humescit, & ut barbarè loquamur, aquescit nigrescitq; quoniam calor evanescit, spiritūsq; exhalant. Remanet enim aqua, & parum aliquid terrena substantia, cum semen siccescit. Est enim hac in parte eadem illius conditio, quæ pituita. Hac enim cum siccat, terrenā prodit substantiam. Galenus crassitiem seminis refert ad concoctionem: albedinem partim ad albedinē glandulosa substantia testium, corporū varicosorum, & πρὸς ἀτὼν ἀδενῶν: partim verò tunicarū vasorum spermaticorū: sub quibus impræsentiarum & vasa preparantia, & ejaculantia inaudi- mus. Cujus sententia nobis magis arridet. Nam quæ sunt concocta, etiam secundū Aristotelem l. 4. meteor. c. 2. crassa sunt. Et patiens, sive alteratum, colorē semper agentis & alte- rantis acquirit: teste eodem, tum alibi: tum comment. 1. in prognost. Hipp. t. ultimo. Agens enim propterea agit, ut pa- tiens sibi assimilet: authore Aristotele 1. de gener. & inter. c. 7. Aristotelis opinionem probare per omnia non licet. Vult enim in fine cap. 2. l. 2. de gen. animal. semen propterea album esse, quia

quia spuma sit. Omnem enim spumam albicare. At jam probatum à nobis, tametsi semen duplici substantiâ, humidâ & spirituosâ constet: veram tamen spumam non esse. Calorem verò crassitie seminis causam esse, libenter concedimus. Est enim concoctionis author. At qua cocta sunt, crassa evadunt: quemadmodum ambo Scriptores, Aristoteles & Galenus, docent.

F I N I S.



01 A 6570

ULB Halle 3
002 937 867



12

6017





